

Orientalis in quibus scriptæ sunt liturgiæ recensitæ, licet olim vulgares, a multo tempore esse mortuas, et tamen in officiis ecclesiasticis semper usitatas: morem igitur ecclesiarum Orientalium invocare non possunt hæretici contra praxim Ecclesiæ Romanæ.

Aliæ multæ exstiterunt liturgiæ apud Orientis Christianas gentes: auctor a Card. Bona citatus, l. 1, cap. 9, n. 9, ait supra quinquaginta numerari, partim communes, partim singularum gentium proprias.

7^o *Aliæ liturgiæ Occidentis*. Præter autem præcipuas liturgias Latinas supra expositas, aliæ non paucae a Romana diversæ numerari possent, ut Africana, Clementina, quæ in l. 8 Constit. Apostolicarum reperitur, Hibernica, Dionysiana, Aquileiensis, Illyrica, Trevirensis, Bobiensis, etc.

Præterea innumeras omittimus dioceses quæ, in singulis regionibus, et præsertim in Gallia, peculiare habent consuetudines ac propria Missalia, ad instar Romani composita, ab eo tamen in multis diversa: ita similiter et plures religiosi ordines. Eo sensu igitur ritum Romanum sequuntur, quod in forma et dispositione cum Romanis conveniant, omnes scilicet habentes confessionem, introitum, collectam, epistolam, graduale, versum vel tractum, evangelium, symbolum, offertorium, præfationem, eundem canonem, communionem, gratiarum actionem et finem; licet alii psalmum *Judica* omittant, alii brevioris confessionis formulam habeant, alii diversis verbis panem et vinum offerant, alias epistolas, diversa Evangelia legant, non easdem festivitates celebrent, aliter procedant, incensum adoleant, etc. Hæc enim notant Bona, l. 1, cap. 7, n. 5; *Cavalieri* apud *Merati*, t. 1; ipse *Merati*, et nullo modo increpant, quamvis post Constitutionem *Quod a nobis*, S. Pii V, usum breviarii Romani præscribens, scripserint, quia supponunt has ecclesias in exceptione bullæ S. Pii V versari.

In infra dicendis ordinem Missalis Romani secuturi sumus.

ARTICULUS SECUNDUS.

DE VARIIS LITURGIE NOSTRÆ PARTIBUS.

Breviter unamquamque liturgiæ nostræ partem hic exponemus.

1^o *Antiphona Introibo*. Antiphona, a verbo Græco *αντιφωνεω*, olim significabat id omne quod alternatim cantabatur, et nunc significat notabiliorem partem ex psalmo cantando excerptam ut ante psalmum cantetur vel saltem incipiatur, et post psalmum integra repetatur. Versus *Introibo*, ex psalmo *Judica* eductus, optime congruit actioni quæ incipienda est.

2^o *Psalmus Judica* statim dicitur. Utrumque, scilicet antiphona *Introibo* et psalmus *Judica*, non semper fuerunt in usu, nec etiam nunc in pluribus liturgiis usitantur. Verumtamen in Missalibus Gallicanis, Germanicis, Anglicis et Romanis, saltem a nono sæculo reperiuntur, sed non in Sacramentario S. Gregorii: unde institui debuerunt inter septimum et nonum sæculum.

3^o *Confessio*. In veteri Lege, summus sacerdos, hircum viventem pro peccatis oblaturus, confitebatur *omnes iniquitates filiorum Israel, et universa delicta atque peccata eorum*, Lev. xvi, 21; omnes qui sacrificia offerebant, suas iniquitates confitebantur, ut ex quatuor primis Levitici cap. colligitur, et rabbinus Maimonides formulam hujus confessionis in suo Tractatu de Sacrific. refert. Tunsio pectoris semper habita est ut signum doloris et penitentiae: ideo in antiquissimis liturgiis aliqua præscribitur vel supponitur confessio ante missæ sacrificium; sed multum variant formulæ. Ea qua nunc utitur ecclesia Romana papæ Damaso, anno 384 mortuo, vel etiam Pontiano, anno 235 defuncto, tribuitur: sed in Sacramentario S. Greg. non invenitur, nec in Missalibus decimo tertio sæculo antiquioribus. Nunc autem in omnibus ecclesiis Latinis est usitata cum nonnullis variantibus, v. g., in Hispania et in ordinibus religiosis nomen patroni nominibus Petri et Pauli additur. Nemo talem additionem propria auctoritate facere potest.

4^o Orationes *Misereatur* et *Indulgentiam* in antiquis Ritualibus seu Pœnitentialibus ac Missalibus non reperiuntur, saltem in ea forma qua nunc existunt: attamen *Grancolas* probat eas jam esse veteres et universales, paucis mutationibus exceptis.

5^o Versus *Deus tu conversus*, etc., in plerisque Missalibus non inveniuntur, inquit *Grancolas*.

6^o *Aufer a nobis*. In omnibus liturgiis aliqua præcipitur oratio sacerdoti ad aram sacram accedenti, sed vel forma non determinatur, vel multum varia est. Oratio *Aufer a nobis*, in antiquis plurimis Sacramentariis reperitur, et in Ordine Romano XIV, § 71, apud *Mabillon*, Museo Italico, t. 2, in quibusdam Ecclesiis dicitur ante confessionem, in aliis ad infimum gradum altaris, etc.

7^o *Oramus te*. Hæc oratio reperitur in pluribus Sacramentariis veteribus, et in Ordine Romano citato: in aliis vero deest. Carthusiani et Dominicani eam non dicunt. Carmelitæ illam non dicebant ante reformationem Missalis sui, anno 1584, nec clerus Parisiensis ante adoptionem, Ordinis missæ S. Pii V, anno 1615.

8^o *Introitus*, sic dictus quia, sacerdote ad altare introeunte, canitur, non semper fuit in usu: in primis temporibus missa per lectiones Scripturæ incipiebat, sicut hodie feria VI in Parasceve. Tenetur probabilius papam Cœlestinum I, in quinto sæculo, statuisse ut unus psalmus cum sua antiphona cantaretur a choro, dum sacerdos cum suis assistentibus e sacrario ad altare procederet. S. Greg. hunc psalmum ad antiphonam cum uno versu reduxit, cui semper addita est doxologia *Gloria Patri*, excepto tempore Passionis, et missa ejus per introitum sic formatum incipit. Sacerdos ad altare perveniens se signabat, dicens *in nomine Patris*, etc., deinde Introitum recitabat: hinc mos se adhuc signandi, sine formula *In nomine Patris* quæ ante psalmum *Judica* dicta est. Nunc quidam introitus, non ex Psalmis, sed ex aliis Scripturæ partibus vel ex compositione ecclesiastica formantur.

9^o *Kyrie eleison*. Hæc verba græca, verbis Latinis, *miserere, Domine*, correspondentia, antiquissimi sunt usus

in orationibus ad Deum. Isaias, cæcus prope Jericho, mulier Chananæa et decem leprosi sic oraverunt, dicentes: *Miserere mei*. Hic modus orandi in ecclesia Græca primum usurpatus, in Ecclesiam Latinam sine conversione sermonis fuit invecus, ignoramus quo præcise tempore. Concil. Vasense II, in Gallia anno 529 habitum, loquitur de hac praxi tanquam de re usitata, et statuit eam deinceps in Gallia sicut in Italia et Græcia sequendam esse.

Apud Græcos solus populus repetit *Kyrie eleison*, sine mutatione in *Christe*; in liturgia Ambrosiana ter dicitur *Kyrie eleison* post *Gloria in excelsis*, ter post Evangelium et ter in fine missæ, ante benedictionem, sine *Christe eleison*.

Primitus non erat statutum in Ecclesia Latina quoties hæc formula repeteretur: hoc pendebat a nutu celebrantis vel diaconi qui aliquo signo finem imponebat. Inter verba *Kyrie* et *eleison* pluries quædam addita sunt verba, v. g., *Kyrie, rex genitor ingenite, vera essentia, eleison*; *Kyrie, luminis fons et rerum conditor, eleison*; *Kyrie, qui nos imagini tuæ signasti specie, eleison*, etc. Illæ additiones sæpe longiores, ut in Missali sub Paulo III impresso videri potest, deletæ sunt, et cantus fuit retentus; unde contigit, ait *Grancolas*, cantum *Kyrie eleison* nunc adhuc esse longum in missa solemnî.

Mos invaluit, sive a S. Gregorio, ut quidam volunt, sive ab alio, ut novies diceretur *Kyrie* vel *Christe eleison*, ter pro unaquaque persona sanctissimæ Trinitatis.

10^o *Gloria in excelsis*. Hic hymnus vocatur Angelicus, quia incipit per verba quibus Angeli nativitatem Christi celebrarunt, dicentes: *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, Luc. II, 14. Est antiquissimus, in Constitutionibus Apostolicis, l. 7, cap. 47, refertur sub nomine *Orationis matutinæ*; S. Athanasius volebat Christianas virgines eum singulis diebus mane recitare; Latini illum antiquo more dicebant in officio matutino, saltem diebus dominicis, et Græci illum adhuc recitant, non solum in missa, sed in Laudibus, et vocant

magnam doxologiam : *Gloria Patri* est minor doxologia. Plurimi hunc hymnum tribuerunt S. Hilario Pictaviensi, in quarto sæculo; alii, papæ Telesphoro, in secundo sæculo: alii, Symmacho, in quinto sæculo; sed antiquior videtur ipso S. Hilario. IV concil. Tolet., anno 633, dicit reliqua quæ sequuntur, post verba evangelica, a doctoribus ecclesiasticis composita fuisse. Nihil ultra certo scire possumus.

S. Gregorius, in suo Sacramentario, præscribit ut ille hymnus singulis diebus dominicis et festivis ab episcopis post *Kyrie eleison* dicatur, et a presbyteris in sola Pascha: hæc consuetudo viguit usque ad undecimum sæculum, quo permissum est ut a presbyteris, sicut ab episcopis, cunctis diebus dominicis et festivis diceretur. Sub S. Pio V statutum fuit ut, quotiescumque in officio nocturno dictus fuisset hymnus lætitiæ, *Te Deum*, diceretur in missa hymnus exultationis, *Gloria in excelsis*. Dicitur insuper feria quinta in Cæna Domini et sabbato Sancto, in missa de die; non vero per Adventum et a Septuagesima usque ad Pascha, nisi occurrant festa, nec in feriis majoribus aut per annum.

In nonnullis Missalibus decimi quarti et decimi quinti sæculi quædam insertæ sunt additiones inter verba prædicti hymni, sicut inter verba *Kyrie eleison*, v. g., *Laudamus te; laus tua, Deus, resonet coram te, rex; Benedicimus te, qui venisti propter nos, rex Angelorum*, etc. Nicolaus V has prohibuit additiones.

11^o *Dominus vobiscum*. Hæc salutationis forma legitur in II Paralip. xv, 2; populus respondet, *et cum spiritu tuo*, utendo verbis Apostoli, Gal. vi, 18: *Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro*. Celebrans osculatur altare in medio, ut salutationem Christi accipiat, et versus ad populum, eum, quasi personam Christi gerens, salutatur, omnem gratiam et benedictionem precans. Usque ad tempus Durandi, in decimo tertio sæculo existentis, omnis populus salutationi respondebat, gratiam et ipse celebranti adprecans: nunc autem solus minister in missa privata, et soli cantores in missa solemnî, respondent pro

se et pro astantibus. Græci dicunt *Pax omnibus*, alludendo verbis hymni Angelici, *Pax hominibus bonæ voluntatis*: apud Latinos, episcopi, qui diu soli dicebant *Gloria in excelsis*, excepto die Paschatis, et quia personam Christi plenius repræsentant, verbis quibus ipse discipulos pluries salutavit utentes, dicunt *Pax vobis*, quando dixerunt *Gloria in excelsis*; in aliis vero missis dicunt *Dominus vobiscum*, sicut simplices presbyteri: ita et in cæteris missæ partibus in quibus salutandus est populus; septies enim hæc salutatio repetitur in missa, videlicet post Introitum, ante Evangelium, ante Offertorium, in Præfatione, ante *Agnus Dei*, ubi dicitur, loco *Dominus vobiscum*, *Pax Domini sit semper vobiscum*, ante Postcommunionem et in fine missæ.

Olim *Kyrie eleison*, *Gloria in excelsis* et *Dominus vobiscum*, vel *Pax vobis*, dicebantur ad cornu epistolæ, quia non erat crux in medio altaris, et sic perrexerunt agere Carthusiani, Dominicani, Carmelitæ et episcopi solemniter celebrantes, qui suam sedem ad cornu epistolæ semper habere debent.

Asserit *Grancolas*, t. 1, p. 475, obligationem audiendi missam, a salutatione celebrantis incipere, et præcedentia non esse de præcepto; sed nullam dat rationem suæ assertionis.

12^o *Collectæ*. Post salutationem, celebrans se et assistentes ad orandum excitat, dicens, *Oremus*; apud Græcos diaconus dicit, *Oremus Dominum*: deinde celebrans dicit *Collectam*, sic probabilius appellatam quia prima est oratio quæ super populum collectum pronuntiatur. Usus sic orandi a traditione Apostolica descendit; devotissimæ enim *Collectæ* apud antiquissimos inveniuntur auctores, v. g., apud S. Clementem, in Epist. ad Cor., S. Polycarpum, S. Irenæum, Origenem, etc. Primitus celebrans orationes pro sua devotione vel necessitate componebat, sed concil. Milevitanum, in Africa, anni 416, decrevit ut deinceps nulla adhiberetur oratio in missa, nisi prius in concilio episcoporum fuisset probata.

Pleræque orationes quibus nunc utimur in officiis et

missis de tempore, in sacramentariis S. Greg. et S. Gelasii reperiuntur: credendum est igitur in conciliis fuisse probatas. Orationes autem quæ in officiis et missis novis mysteriorum sanctorum, etc., adhibentur, a diversis auctoribus compositæ fuerunt ab Ecclesia approbatæ, dum in calendario fuerunt adscriptæ.

In Missali Gelasii tres præscriptæ erant collectæ: S. Greg. eas reduxit ad unam. Numerus postea multum variavit, et nunc diversus est pro diversa missarum qualitate, ut mox dicturi sumus.

Olim, statim atque celebrans dixerat *Oremus*, omnes genu flectebant ad vocem diaconi dicentis *Flectamus genua*, aliquo tempore secreto orabant; postea surgebant, dicente diacono *Levate*. Hodie hæc formula in solis diebus jejunii servatur: diaconus dicit *Flectamus genua*; subdiaconus, nulla interposita mora, subjungit *Levate*; qui stant genua flectere, et qui sunt genuflexi inclinari debent usque ad *per omnia*, vel *qui tecum*, juxta Merati, t. 1. Communies tamen, ut notat *Romsée*, omnes statim surgunt. Deficiente diacono, ipse celebrans dicit, *Flectamus genua*, et minister vel cantores, nomine totius populi, respondent *Levate*.

Olim celebrans objectum orationis populo annuntiabat, dicens: *Oremus, fratres charissimi*, v. g., *pro Ecclesia sancta Dei, ut eam Deus*, etc.; postea dictis *Oremus, Flectamus genua et Levate*, subjungebat orationem. Mos ista feria sexta Majoris hebdomadæ servatur.

13^o *Epistola*. Apud Judæos officium publicum in sabato incipiebat per lectionem librorum Moysis vel Prophetarum, ut patet ex Act. Apost. XIII, 15, et XV, 21. Primi Christiani hanc consuetudinem in cœtibus suis servaverunt; hunc ritum in ipsomet Ecclesiæ exordio adhiberi consuevisse testatur S. Justinus, Apol. 1. Hæc instructio diebus dominicis et festivis ex scriptis Apostolorum regulariter deducitur; in feriis, ex Veteri vel ex Novo Testamento; in feria quarta quatuor Temporum, una ex Veteri et altera ex Novo Testamento, excepta feria quarta infra octavam Pentecostes; et in sabbatis quatuor

Temporum, ad instructionem ordinandorum, quinque leguntur ex Veteri et ultima ex Novo Testamento.

Pars autem ista officii dicitur Epistola vel, apud quosdam auctores, Apostolus, quia ex epistolis Apostolorum communiter deducitur. Intitulatur Lectio, quia olim non cantu, sed alta voce legebatur ab uno e lectoribus, in ecclesiæ loco qui dictus est lectorium, vel lectrium, unde gallice *lutrin*. Liber diversas lectiones per annum legendas continens, dictus est lectionarius (liber), vel lectionarium.

Apud Græcos diaconus legit vel cantat Epistolam; apud Latinos nunc subdiaconus eam in missa solemniter cantat, et in ordinatione sua, a decimo tertio sæculo, specialem ad hoc suscipit potestatem per libri Epistolarum traditionem. Ubi celebrans cantat missam sine diacono et subdiacono, Rubrica Romana, tit. 6, n. 8, permittit ut lector, superpelliceo indutus, Epistolam in loco consueto cantet. Si desint subdiaconus et lector, celebrans ipse Epistolam cantat: eam vero ab alio cantatam (et generaliter quod cantatur) tam submisso dicere debet ut chorus vocem ejus non audiat; P. *Le Brun*, t. 1.

14^o *Graduale*. Ut instructioni jungatur oratio, post Epistolam cantatur psalmus vel quidam versus unius psalmi, et hæc portio officii dicta est Graduale, quia ad gradus pulpiti seu ambonis cantabatur.

15^o *Alleluia*, vox hebræa significans jubilationes in laudando Deo, quæ in alienam linguam accurate converti posse non visa est, et ideo in propria lingua servata est. Gradualibus subjungitur, et, dicto versu, in fine ante Evangelium repetitur, excepto tempore a Septuagesima ad Pascha, et missis defunctorum. « Alleluia nobis cantare certo tempore solemniter moris est, secundum » Ecclesiæ antiquam traditionem, » inquit S. Aug. in Ps. CVI.

16^o *Neuma*. Durandus alique liturgiæ interpretes dicunt neuma, quæ est continuatio cantus sine articulatione, post Alleluia et antiphonas, significare tantam esse mentis jubilationem ut exprimi nequeat.

17° *Sequentia* seu *Prosa*. Neuma a quibusdam dicta est *Sequentia*, quia cantum *Alleluia* sequebatur. *Sequitur jubilatio*, quam *Sequentiam* vocant, inquit Ordo Romanus. Nonnulli supprimentes Neumam, substituerunt ei aliquos hymnos liberioris compositionis, similem ultimorum verborum habentes sonantiam: hujusmodi hymni dicti sunt *Sequentiæ*, quia sequebantur *Alleluia* et locum tenebant Neumæ: appellantur etiam *Prose*, quia non constant versibus proprie dictis.

Arbitratur *Grancolas*, t. 1, p. 511, eas adhiberi incœpisse in nono sæculo, pro magnis solemnitatibus primum exstitisse; deinde ita multiplicatas fuisse ut unaquæque missa propriam haberet *Prosam*, excepto tempore a Septuagesima ad Pascha. Multæ erant inconcinæ et injucundæ: Carthusiani et Cistercienses eas e liturgiis suis expunxerunt et *Missale Romanum* quinque tantum servavit: *Victimæ paschali*, quæ tribuitur Notkero abbati, in nono sæculo; *Veni, sancte Spiritus*, quæ attributa est regi Roberto; vel probabilius Hermano Contracto, in undecimo sæculo; *Lauda, Sion*, quæ est S. Thomæ Aquinatis; *Dies iræ*, quæ a Card. Frangipani, cognomento Malabranca, in decimo tertio sæculo, fuit composita. Hæc ultima, contra *Prosarum* institutionem, est tristis, et *Alleluia* non sequitur. Ejusdem generis est *Stabat mater*, a pluribus attributa Innocentio III, et a P. Wadding restituta Jacoponi, qui ex mundano factus est simplex frater Minor S. Francisci, in decimo tertio sæculo. Hæc recenter in *Missale Romanum* pro festo Septem Dolorum B. Mariæ Virginis fuit introducta.

18° *Tractus*. Quando non dicitur *Alleluia* post *Graduale*, cantatur *Tractus*, sic dictus a verbo trahere, quia tractum, id est, sine interruptione, vel lente et lugubriter, non ab omni choro, sed a solis cantoribus cantatur. Ex nonnullis alicujus psalmi versibus componitur, et aliquando ex psalmo integro, ut prima Dominica *Quadragesimæ*.

19° *Munda cor meum*. Dum oblationes fidelium, ante *Offertorium*, super altare, ad cornu *Epistolæ* defereban-

tur, liber ad aliud cornu erat deferendus: hinc mos illum sic adhuc transferendi ante *Evangelium*. Interea sacerdos dicit, *Munda cor meum*, etc., ad petendam gratiam verba Christi recte et sancte annuntiandi. Deinde petit benedictionem dicens, *Jube, Domine, benedicere*; dicit *Domine*, quia supremum Dominum cœli et terræ alloquitur; et non *Domne*, qui est titulus homini in dignitate constituto attributus: unde diaconus, benedictionem petens, sive a simplici sacerdote, sive ab episcopo, dicere non debet *Domine*, sed *Domne*, et ita quotiescumque benedictio ab homine petitur. Ipse summus Pontifex in *Litaniis* vocatur dominus apostolicus, ut *domnum apostolicum*, etc.

20° *Evangelium*. Omnes liturgiæ cognitæ præscribunt *Evangelium* in qualibet missa, voluntque illud non legi aut cantari sine pluribus cæremoniis venerationem spirantibus, maxime in solemnibus missa, ut sunt, *Munda cor meum*, benedictio, thurificatio, etc. Sacerdos sic paratus, ad librum semiversus tantum, ut populum alloqui censeatur, salutem assistentes dicendo, *Dominus vobiscum*, librum, frontem suam, os et pectus signat, annuntiat *Evangelium*, nominans *Evangelistam*, et respondetur, *Gloria tibi, Domine*; quæ responsio jam usitata erat in octavo sæculo, ut ostendit *Romsée*.

Græci cum majori adhuc solemnitate ad cantandum *Evangelium* procedunt.

S. Cyprianus, Tertullianus, S. Justinus aliique antiqui auctores testantur morem suo tempore exstitisse legendi *Evangelium* in missa; et Eusebius, l. 2, cap. 14, dicit a B. Petro institutum esse ut *Evangelium* S. Marci in ecclesiis legeretur.

Finito *Evangelio*, olim respondebatur *Amen*, vel *Deo gratias*, aut *Laus tibi, Christe*: hæc ultima formula sola prævaluit. Statim celebrans, in signum devotionis erga verbum sanctum, prima verba *Evangelii* deosculatur, dicens, *Per evangelica dicta*, etc.

In *Ordine Romano* præscribitur crucis signum quo sacerdos et populus se olim muniebant post *Evangelium*, quia tunc finita erat missa catechumenorum.

21° *Prædicatio*. Omni tempore mos fuit in Ecclesia ut pastores vel ab eis deputati sermonem ad populum haberent, post lectionem Scripturæ, id est, finito Evangelio : existentiam veteris hujus consuetudinis astruunt testimonia S. Justini, Apol. 1, n. 67 ; Tertul., l. de Anima, cap. 9 ; S. Aug., Serm. 176, etc.

Hæc prædicatio dicta vulgo *prône*, a verbo græco *πρόναι* significante primam navem Ecclesiæ, quia in ea parte stabat populus sermonem auditurus, erat modo familiaris, et dicebatur Homilia, modo solemnior, et nomen retinebat Sermonis. In plures tamen non dividebatur partes, ut in posterioribus sæculis factum est, nec dicebatur *Ave Maria* : hæc invocatio post exordium inserta est a decimo tertio vel decimo quarto sæculo tantum. *Gerson* eam continuè adhibuit in sermonibus quos, durante concilio Constantiensi, ad populum et clerum habuit.

Post prædicationem annunciabatur præscriptiones Ecclesiæ, festa, jejunia, matrimonia, ordinationes, excommunicationes, ii omnes pro quibus missæ sacrificium offerendum erat indicabantur, et quædam fiebant preces, sicut hodie in Gallia : hæc tamen apud nos fieri solent ante instructionem.

22° *Symbolum*. In primis Ecclesiæ temporibus, Symbolum non dicebatur in missa : deinde semel in anno, die veneris in Parasceve recitabatur ad instructionem catechumenorum. Fertur *Timotheum*, episcopum Constantinopolitanum, jussisse, anno 510, ut in omnibus ecclesiis sibi subjectis, ad veram profitendam fidem contra hæreticos, in singulis collectis recitaretur. Inde mos illud sic dicendi transiit in Hispaniam et in Gallias : concil. Tollet. III, anno 589, statuit ut per omnes ecclesias Hispaniæ et Galliæ, ante Orationem Dominicam, secundum formam Orientalium ecclesiarum recitaretur. Circa finem octavi et initium noni sæculi, cepit cantari in Gallia et in Germania cum additione *Filioque*. Ordo Romanus II, quem fertur octavo sæculo scriptum fuisse, dicit Symbolum, dicto Evangelio, ab episcopo inchoandum esse. Si ergo S. Henricus imperator conquestus fuerit, anno 1014,

illud Romæ non cantari sicut in aliis ecclesiis, et si ad preces ejus Benedictus VIII illud cantandum jusserit, intelligendum est, aut antea fuisse tantum recitatum, aut morem illud cantandi desiisse.

Saltem ab eo tempore semper dicitur singulis diebus dominicis, in festis diebus mysteriorum Christi, B. Mariæ Virginis, sanctorum Apostolorum, sanctorum doctorum, et in quibusdam aliis solemnioribus festis.

Ab omnibus cantari debet tanquam publica omnium professio, non agentibus organis, nec interposita musica, nisi simplici, ut verba ab omnibus audiri possint. Vide P. *Le Brun*, t. 1.

23° *Offertorium*. Catechumeni præcedentibus orationibus et instructionibus assistebant ; iis absolutis, dimittebantur, et tunc incipiebat missa fidelium. Sacerdos, versus ad populum, eum salutabat per *Dominus vobiscum*, et responso ejus accepto, dicebat *Oremus*, nihil addens, omnes sub silentio orabant, dum fidelium oblationes acceptæ in altare ponebantur. Tempore S. Aug. mos Carthaginem introductus, et inde per totam Ecclesiam Latinam diffusus est, ut hymni dicerentur de Psalmorum libro, S. Aug., *Retract.* l. 2, cap. 11, t. 1. In Antiphonario S. Greg. notantur versus cantandi, quorum primus erat antiphona quæ inter versus repetebatur donec absolveretur oblatio : suppressa oblatione omisi sunt versus, et sola retenta est antiphona, nunc vocata *Offertorium*.

Vestigium antiqui moris oblationes ad offertorium præsentandi remansit in ordinationibus, in episcoporum consecratione, in abbatis et abbatissæ benedictione, et in quibusdam locis, ad missam pro defunctis. Dabatur osculum pacis iis qui oblationem suam præstabant : inde usus præsentandi anulum deosculandum in ordinationibus. Quidam sacerdotes præsentabant populo aliquid offerenti patenam osculandam : S. Pius Vid prohibuit. Apud quosdam est in usu deosculari rem offerendam et manum celebrantis, quod *Gavanto* et *Merati* non videtur inconveniens, modo id non fiat in missis defunctorum, et mulieres ab osculo manus celebrantis abstineant.

Eulogiæ, vulgo *pain bénit*, sunt etiam quoddam antiquarum oblationum vestigium: vetustissimi sunt usus, tum in Orientali, tum in Occidentali Ecclesia; olim distribuebantur in fine missæ vice communionis sacramentalis, in signum unionis inter fideles. Nunc intra missam distribui solent, et communius in principio missæ offeruntur ac benedicuntur. Patena offerenti deosculanda præsentari non debet, sed crux aliave imago sacra, exceptis missis defunctorum.

24° *Orationes Suscipe... Offerimus... In spiritu humilitatis... et Veni, sanctificator...* quasi de verbo ad verbum in Missali Mozarabico inveniuntur: unde circa finem undecimi sæculi in Missam Romanam transierunt. In duodecimo sæculo altera oratio, nempe *Suscipe, sancta Trinitas*, quæ Mediolani et in pluribus Galliarum ecclesiis antiquitus usitata erat, missam Romanam similiter ingressa est. Antea nulla fiebat oratio super oblata usque ad Secretam.

25° *Deus qui humanæ*. Hæc oratio in Sacramentario S. Greg. pro die Natalis Domini invenitur, exceptis his verbis, *per hujus aquæ et vini mysterium*, et in missa ab Illyrico data; sed in Ordine Romano ante sæculum decimum quartum non reperitur. Dicenda est benedicendo aquam vino immiscendam, nisi alia instituta sit formula pro missa solemnii, ut apud nos. Dicimus enim, *De latere Domini*, etc., loco *Deus, qui humanæ*, etc.

26° *Lavabo*, etc. Antiquissimi est usus lavare manus sub missa, sed mos eas, oblatione facta, lavandi, dicendo, *Lavabo manus meas*, etc., non ascendit ultra decimum quartum sæculum, et non fuit generaliter receptus in Ecclesia Latina ante decimum quintum sæculum. Ita *Romsée*, t. 4. Sed in missa S. Chrysost. apud *Goar*, lotio et *lavabo* in extenso sicut apud nos præscribuntur in initio missæ; in Ordine Romano VI, statuitur ut episcopus sedeat, duo acolythi genuflectentes sinum ejus manutergio cooperiant, et tertius, aquam administraturus, in medio eorum genuflectat. Hinc factum est ut qui dat aquam episcopo ad lavandum, adhuc genuflectat. A nono sæculo manuum

lotio fieri solet post oblationem et incensationem; P. *Le Brun*, t. 1.

27° *Orate, fratres*. Post lotionem, dicta oratione *Suscipe, sancta Trinitas*, de qua supra, celebrans versus ad populum hortatur eum ad orandum, dicens media voce, *Orate, fratres*, etc. Olim dicebatur tantum *Orate*, ut in Ordine Romano II, n. 9, habetur, et assistentes nihil respondentes secreto orabant. In Ordine Romano VI, n. 10, legitur *Orate pro me*, et in missa Illyrici, quæ est saltem decimi sæculi, legitur; *Orate pro me peccatore, fratres et sorores, ut meum et vestrum*, etc. *Martène*, t. 1. Legitur etiam responsio, *Suscipiat*, etc. Attamen hujus petitionis et responsionis usus non fuit communis, donec in Missali Romano adoptatus fuerit, anno 1551. Carthusiani et Cistercienses eum adhuc non sequuntur.

28° *Secreta*. Quidam volunt hanc orationem dici Secretam a verbo *secerno*, quia super oblationes consecrandas et non super alias pronuntiatur; sed multo communius et probabilius docetur eam sic vocari, quia secreto dicenda est; tum quia cantus Offertorii usque ad Præfationem sæpe protrahitur; tum ut celebrans magis sit recollectus: non præmittitur *Oremus*, quia ante Offertorium dictus est, et aliunde populus ad orandum sufficienter invitatur per *Orate, fratres*. Hæc oratio ejusdem est antiquitatis ac Collecta, et in Sacramentariis S. Greg. et S. Gelasii exprimitur tanquam super oblationes dicenda. Si plures sint, sacerdos primam concludendo, sibimetipsi respondet *Amen*. In ultima autem conclusione, quasi divino amore flagrans, in altam vocem erumpit, dicens vel cantans *Per omnia sæcula sæculorum*: et omnis populus accinit dicens: *Amen*. Verba ista, propter cantum, Præfationi junguntur, et reipsa tamen ad Secretam pertinent.

29° *Præfatio*. Præfatio idem significat ac prælocutio, et adhibetur ut celebrantis et assistentium mentes ad choros Angelorum erigantur, et ad tremenda quæ perficienda sunt mysteria præparentur. Antiquissimæ est institutionis, siquidem inveniuntur præfationes fere singulis missis propriæ in Sacramentariis S. Greg. et S. Gelasii; antiquiores

auctores eas commemorant ut consuetas, v. g., auctor Constit. Apostol., l. 8, cap. 16, S. Cyp., l. de Orat. Domin. « Sacerdos ante orationem, Præfatione præmissa, parat » fratrum mentes dicendo, *Sursum corda*; ut dum res- » pondet plebs, *Habemus ad Dominum*, admoneatur nihil » aliud se quam Dominum cogitare debere. » Reperiuntur in omnibus liturgiis, tum Orientalibus, tum Occidentalibus: ab ipsis ergo Apostolis vel ab Apostolicis viris earum fuit institutus.

In decimo vel undecimo sæculo numerus Præfationum ad novem fuit reductus, nempe pro Pascha, Ascensione, Pentecoste, Natali Domini et Epiphania, pro festis Apostolorum, pro sanctissima Trinitate, pro Quadragesima et Passione; Concilium Londinense, anno 1175 celebratum, cæteras prohibuit, et has novem dicendas statuit; eis addita est communis quæ est antiquior, et postea præfatio B. Virginis Mariæ, quæ Urbano II, in fine undecimi sæculi, tribuitur: tales sunt Præfationes quæ in Missali Romano reperiuntur.

30° *Sanctus*, etc., est hymnus adorationis, ex Isai. VI, 3, et Apoc. IV, 8, eductus, qui est publica fidei in sanctissimam Trinitatem professio: vocatur *trisagium*, a verbo græco *Τρισάγιος*, *ter sanctus*, quod est nomen Deo proprium. In cunctis et antiquissimis liturgiis Latinis, Græcis, Syriacis, etc., invenitur. Olim ab omnibus inclinatis, alta voce dicebatur vel cantabatur: ideo sacerdos, eum dicendo, nunc profunde se in signum adorationis inclinat. Subsequitur versus jubilationis, *Benedictus*, quem dicens sacerdos se erigit et signat: Missale Fratrum Prædicatorum præscribit ut omnes qui sunt in choro pariter se signent ad *Benedictus*.

Hosanna est vox Hebræa acclamationis, significans: Salva, quæso, vel simpliciter salus; sensus igitur est: Salus illi qui habitat in excelsis. Vox illa in propria lingua servata est sicut *amen* et *alleluia*, quia perfecte converti non potest.

Dum cantatur vel dicitur *Sanctus*, pulsatur campanula, ut moneantur fideles majorem adhibendam esse attentionem. Ita communiter recentiores liturgistæ.

31° *Canon missæ*. Vox græca *Κανών* proprie significat arundinem rectam qua, velut regula, sæpe utuntur artifices ad aliquid metiendum: per metaphoram adhibita est in conciliis, ad exprimendum fidei articulum ita statutum ut sit immutabilis, et in liturgia ad designandam eam missæ partem quæ consecrationem sub utraque specie continet, et variari non debet. Incipit a *Te igitur*, et terminatur immediate ante Orationem Dominicam. Vocatus est Canon, Preces, Oratio, Textus canonicæ precis, et a multis dictus est Actio; qua voce utitur Missale Romanum indicando *Communicantes*; dicit quippe, *infra Actionem*.

Canon missæ, prout eum habemus, in Sacramentario S. Gregorii reperitur; excepto quod in oratione *Communicantes* plura sint nomina sanctorum: ab eo tempore igitur fuit invariabilis. A quo fuerit compositus, non convenit inter doctores: S. Isidorus eum tribuit B. Petro; S. Greg. dicit factum fuisse a Scholastico, quem aliter non nominat. Sed Concil. Trid., sess. 22, cap. 4, de illo hæc habet: « Is enim constat cum ex ipsis Domini verbis, » tum ex Apostolorum traditionibus, ac sanctorum quo- » que pontificum piis institutionibus. » Diversos ergo habuit auctores, et in diversis temporibus fuit conditus.

Idem non erat Canon in veteribus Ecclesiæ Gallicanæ liturgiis, nec unicus, sed proprius et brevissimus ad singulas missas, ut refert *Martène*, t. 1.

32° *Te igitur*. In ea oratione, quæ fit cum signis crucis super oblata, oratur specialiter et nominatim, 1° pro papa sedem Petri tunc occupante, qui nominatur: hæc consuetudo est antiquissima, et diu in Ecclesia Græca sicut in Latina exstitit. Notatur in historia ecclesiastica ut factum gravissimi momenti, quod Dioscorus, Alexandrinus patriarcha, nomen S. Leonis papæ e sacris diptychis tollere ausus fuerit, anno 449. Alia facta similiter demonstrant in Orientalibus Ecclesiis usum primitus exstitisse papam in missa nominandi. Apud Latinos, concil. Vasionense, in Gallia anno 529, jussit ut nomen papæ, quicumque Apostolicæ sedi præfuerit, in Ecclesiis nostris recitetur (cap. 4). 2° Pro episcopo diœcesis in qua celebratur: hoc in omni-